UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Maximiliani Sandæi E Societ. Iesv Doct. Theol. Paradisvs Amantium, Colentium, Imitantium Christvm Crvcifixvm

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae, 1648**

73. Tentationes carnis planè domat omnes amplexu, quo illum dignatur Dominus brachia auellens à Cruce.

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55065

Visual Library

III.

AMATOR CRVCIFIXI

*tentationes carnis planè domat omnes, amplexu, quo illum digatur Dominus, brachia auellens à Cruce.*

FVIT in clauſtro Hemmenrode Ordinis Ciſtercienſis iuuenis quidam bonæ indolis, & laudabilis admodum conuerſationis, Petrus nomine, Confluentinus, per quem Dominus DEVS mira operabatur. Huic ſtudium erat ſemel in die minimùm reuoluere & recitare ſibi ſanctiſſima & dulciſſima PASSIONIS CHRISTI improperia; gratiarum ſpiritualium efficaciſſima incitamenta. In quo ſtudio tantam per dimidium circiter annum difficultatem paſſus eſt, vt penè animum abijceret: tandé, cùm perſtitiſſet pulſans, & ſubortas difficultates indefeſſus effregiſſet, ſecreta illa CHRISTI violenter intrauit; ac deinceps ſine difficultate, & quaſi ad manũ paratis quotidie epiſtolis, meditationibus illis ſuauiſſimis, cum magna iucunditate eſt vſus. In Canone quoque non magnoperè curabat orare, ſed de PASSIONE CHRISTI meditabatur.

73. PETRVS *Confluentinus Anno D. circiter* 1224.

*Quotidie verſat animo Paſſionẽ.*

*Optat videre Vultum Chriſti Patientis.*

Idem habebat in deſiderio, & tã humili-

militer, quàm vehementer optabat, reuelari ſibi diuinitus aliqua imagine vultum Saluatoris, vt cùm meditari debuiſſet, ad eundem vultum, quaſi conſpectum, & benè cognitum faciliùs intuitum mentis imaginariè dirigere poſſet. Et Dominus, qui hoc ei inſpirarat deſiderium, non fraudauit eum à deſiderio ſuo.

*Stimulo carnis vrgetur.* Laborabat is autem mirabili, ac multiplici luxuriantis carnis moleſtia, Diabolo interitũ, ſed Domino profectũ ei de tentationibus ordinante. Vnde cùm quodam tempore in angulo chori diutius orationi incubuiſſet, diuinum implorans auxilium, ne ſineretur labi in peccatum, poſt horã ſurrexit & receſſit. Tranſiens autem ante altare, veniam accepturus inclinatione & reuerentia ſub lampade ſe humiliauit.

*Crucifixus amplexatur Amatorẽ ſuum.* Et ecce ibi Dominus IESVS, ſtans ante eum, vel potius quaſi pendens in CRVCE, qui pijſsima brachia ſua abstrahens à CRVCE ſeruulum ſuum amplexatus eſt, & tanquam præcordialem ſibi, in ſignum mutuæ familiaritatis, eũ ad pectus ſuum attrahendo, ſtrinxit, tentationesque illius validiſſimas cõſtrinxit, & ſtringẽdo cõpeſcuit. Sanè,

cum

cum terræ procumberet, optimè ſui compos erat, ſed felici illa viſione ita à ſenſu ſuo abſtractus, & ita dulciter affectus eſt, vt non plenè ſcire potuerit, vtrum corporeis oculis, an ſolo ſpiritu, reuelationem illam recepiſſet. Attamen cùm multas tam ante, quàm poſteà conſolationes acceperit; hoc fatetur quod iſta ſupergreſſa eſt vniuerſas.

*Donum lacrymarum.*

Tantam ſiquidem acceperat gratiam lacrymarum à Domino, vt infra matutinas vix aliqua hora oculi eius ſiccarentur. Huius rei teſtis ſum ego, inquit Cæſarius, qui iuxta illum ad pſalmodiam ſtabam aliquanto tempore.

*Anhelat ad martyrium.*

Porrò, ita ſeruebat in CHRISTI PASSIONE, vt ſpe martyrij, Theodoriacum Epiſcopũ Liuoniæ ſequeretur. Is enim acceperat auctoritatem à Papa Innocẽtio, vt ſecum duceret omnes, qui ire vellent ad propagandam vineam Domini Sabaoth populo barbaro. Eo profectus Amator CRVCIFIXI, paræciam in Liuonia rexit, ex præcepto ſui Abbatis, ibidemque prædicauit, baptizauit, multoſque, tam verbo, quam exemplo ædificauit, & in fide confirmauit.

*Cæſarius lib. 8. hiſtor. memor. cap. 13.*